



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

3 Quotuplex sit relatio, & quæ sit verè prædicamentalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

& probatum est. Neque inde sequitur relationem similitudinis nihil esse, sed solum sequitur non esse aliquid distinctum ab albedine, quæ antea inerat tali rei albæ. Cum autem instatur, quia prius in tali realba non erat similitudo, & postea est similitudo: ergo vel similitudo nihil rei est, vel aliquid rei de nouo est in illa realba. Respondetur negando consequentiam quoad utramque partem, nam præter illa duo membra est aliud tertium, nimirum aliquid rei esse de nouo, non in re quæ prius erat alba, sed in termino, qui de nouo factus est albus: quem terminum aliquo modo includit seu connotat illa res, quæ est similitudo sub ratione albedinis. Ad quartum respondetur, has denominationes respectiuas, non esse mere extrinsecas, vt recte ibi probatur. Vnde consequenter concedimus, huiusmodi denominationem esse ab aliqua forma intrinseca: includendo tamen seu connotando aliquam aliam extrinsecam in extrinseco termino. Ac propterea negatur vltima consequentia, nimirum hanc formam sic denominantem intrinsece cum habitudine ad extrinsecum, debere esse ex natura rei distinctam saltem modaliter, ab omni forma absoluta: nam supposito termino extrinseco ipsamet forma absoluta secundum rem sufficit ad talem denominationem tribuendam, quæ auferri, vel cessare potest per solam ablationem extrinseco termini, vt dictum est.

Satisfit argumentis ex sectione prima relictis.

XXIV. EX his etiam, quæ in hac sectione dicta sunt, soluta manent multa ex argumentis propositis in principio sectionis præcedentis. Nam quod ad primum attinet, iam explicatum est quomodo ipsum esse ad relationis realis & accidentalis, sit aliquid in re ipsa quæ refertur dicitur. Falsumque est, esse ad vniuocæ dici de relationibus rationis, & realibus. Falsum item est verum esse ad posse ita præcise ab esse in, vt illud intrinsece non includat: ad eum modum quo in superioribus diximus, modos entis non posse ita præcise ab ente, quin illud in se claudat. De secundo item argumento, nimirum, quod relatio adueniat sine mutatione fundamenti, satis multa dicta sunt, concedimus enim inde recte concludi, relationem non esse aliquid in re distinctum à fundamento, non tamen non esse aliquid rei. Vnde ad tertium negatur prima consequentia, scilicet, relatio nihil est præter absoluta: ergo simpliciter nihil est, si in antecedente illa particula præter indicet æqualem distinctionem ex natura rei. Nam licet relatio non sit aliquid in re distinctum ab absolutis, potest esse aliquid ratione distinctum: & ideo non sequitur qd sit simpliciter nihil. Neq; refert, quod relatio vt relatio præcise dicitur ab absolutis, quia neq; præcise dicitur vt aliquid per rationem confictum, neq; etiam vt aliquid in re ipsa præcise & distinctum, sed vt aliquid verum & reale ratione sola præcise: sæpe enim distinctio est rationis inter extrema vera & realia, quæ ad prædicamenta constituta sufficiunt: vnde probationes omnes, quæ in illo tertio argumento afferuntur, viles sunt ad declarandum, quomodo relatio realis non addat rebus ab solutis rem, vel realem modum, ex natura rei distinctum ab ipsis, non tamen quicquam valent ad concludendum huiusmodi relationem nihil omnino esse.

XXV. Duo tamen in illis argumentis cauenda sunt. Primum est, cum dicitur denominatio respectiva consergere ex coexistentia plurium absolutorum absq; vlla reali additione, nõ esse intelligendum, illam denominationem æque ac simul sumi ex pluribus formis absolutis, vna intrinseca, & altera extrinseca. Sed intelligendum est, illam denominationem requirere quidem consortium, seu coexistentiam talium rerum seu formarum: tamen in vnoquoque extremo sumi à propria forma vt respectiue aliam, quæ vt sic habet

Tom. II. Metaphys.

rationem relationis, quamuis in re nõ sit alia ab ipsa forma absolute. Secundo (propter exemplum quod ibi adducitur de Deo quatenus denominatur dominus, vel creator, &c.) cauendum est, ne quis existimet huiusmodi denominationes esse eiusdem modi & rationis in omnibus: id enim verum esse non potest iuxta communem doctrinam, quæ distinguit relationes in mutuas & non mutuas: quæ distinctio nulla esset si prædictæ denominationes omnes essent eiusdem modi in omnibus extremis. Quæ autem sit hæc diuersitas, non est facile ad explicandũ iuxta doctrinam ac sententiam quam defendimus. Quapropter de hac re erit inferius specialis Sectio instituenda: nunc solum dicimus, quando in re denominata est aliquid propriũ & proportionatũ fundamentum talis denominationis, tunc provenire ex propria relatione reali: quãdo vero attribuitur rei sine tali fundamento, tunc denominationem esse extrinsecam seu rationis.

SECTIO III.

Quotuplex sit relatio, & quæ sit vere prædicamentalis.



Ac dubitatio proponitur propter difficultatẽ tactam in quarto argumento in prima sectione proposito. Ad quam expediendam nonnullæ distinctiones relatiuorũ præmittendæ sunt. ac declarandæ, vt seclusis iis, quæ ad hoc prædicamentum non pertinent concludamus quale possit esse genus accidentis realis ab aliis diuersum, & proprium prædicamentum ad aliquod constituens.

Prima diuisio relationis, in realem, & rationis.

PRIMO ergo diuidi solet relatio in eam quæ realis est vel tantum rationis: quam aliqui ita interpretantur, vt doceant, genus prædicamenti ad aliquid utramque relationem sub se continere, ac propterea illam diuisionem esse vniuocam, imo & generis in species. Cui sententiæ videtur fauere Diuus Thom. 1. part. quæst. 28. artic. 1. vbi sic inquit, Considerandum est, quod solum in iis, quæ dicuntur ad aliquid, inueniuntur aliquæ secundum rationem tantum, & non secundum rem. Sentit ergo ea quæ secundum rationem, tantum referuntur, vere ac vniuocæ esse ad aliquid: nam si tantum esset sermo de denominatione æquiuoca vel analoga, non tantũ in his quæ sunt ad aliquid, sed etiam in aliis generibus inuenirentur aliqua secundum rationem tantum, vt cœcitas in qualitate, & sic de aliis. Idem sumi potest ex art. 2. eiusdem quæst. & ex qu. 13. artic. 7. & quodlib. 1. artic. 2. quodlib. 9. artic. 5. & quæst. 2. de potent. art. 5. & sæpe alibi. Vnde Caietan. dictis locis 1. part. aperte sentit ipsum esse, ad vniuocæ dici de relatione reali, vel rationis, quod antea videtur docuisse Capreol. in primo, distinct. 33. quæst. 1. & sequi videtur ibi Deca quæst. 1. notab. 4. & Ferrar. 4. contra Gent. cap. 14. & expressius Soncin. 5. Metaph. quæst. 26. concl. 2. qui afferunt alia testimonia D Thomæ. Fundamentum eorum est, quia definitio relatiuorum quam Aristoteles tradit, & proprietates omnes quæ ad illam consequuntur, æque conueniunt relationibus rationis, ac realibus. Patet, nam relatiua esse dicuntur, quorum totum esse est ad aliud se habere: hoc autem omnino & propriissime conuenit respectibus rationis, nam licet esse eorum sit magis imperfectum ac diminutum, quam esse relatiuorum realium, tamen illud esse qualecunque est, tam proprie consistit totum in habitudine ad aliud, sicut esse relationis realis. Vnde fit, vt relatio rationis nec cognosci possit, nec definiri sine habitudine ad aliud, æque ac relatio realis.

Vu

Sola

Sola relatio realis predicamentum Ad aliquid
constituit.

III.

Nihilominus dicendum est, solas relationes reales pertinere ad constitutionem predicamenti ad aliquid, quod est satis evidens ex iis, quæ in superioribus tradita sunt de conceptu entis, & de divisione eius in novem genera summa. Ostendimus enim ens non solum non esse uniuocum ad ens reale & rationis, verum etiam non habere unum conceptum communem illis, etiam analogum, sed vel esse æquiuocum, vel ad summum, analogum analogia proportionalitatis. Et hac ratione etiam diximus, obiectum adæquatum & directum Metaphysice non esse ens commune ad reale & rationis, sed ad reale tantum: & hoc etiam ostendimus diuidi in decem supremæ genera. Cum ergo relationes rationis non sint entia realia, & consequenter nec vera entia non possunt ad predicamentum Ad aliquid quod reale est, pertinere. Ad præterea, non posse habere uniuocam conuenientiam, cum relationibus realibus, si supponamus illas esse vera entia realia, ut supra ex communi sententia suppositum est, & in discursu huius materiæ paulatim declarabitur, & probabitur. Ratio autem est, quia cum ens rationis nihil sit, non potest habere veram similitudinem ac conuenientiam cum ente reali, in qua conuenientia fundari solet uniuocatio & unitas conceptus: ergo non potest aliquis verus conceptus & essentialis esse communis enti reali & rationis. Et ideo merito Soncin 4. Metaph. quæst. 5. & 6. approbat dictum Heruxi (quamquam errore typographi tribuatur Henrico) quodlib. 3. quæstio. artic. 1. in fine, non magis posse ens esse uniuocum ad ens reale & rationis, quam sic homo ad hominem viuum & mortuum. Habet autem hoc dictum eandem rationem veritatis in ente in communi & in tali ente, scilicet relatione, quia sicut ens rationis non est verum ens, sed fictum seu relatio rationis non est vera relatio, sed ficta, vel quasi picta, per intellectum.

IX.
Obiectioni
satisfit.

Dicit fortasse aliquis hoc verum esse de integro & completo conceptu relationis, de quo procedit ratio facta, quia in huiusmodi conceptu relationis realis includitur, quod sit verum ens, & accidens reale: non tamen ita procedit de præciso conceptu ipsius modi seu constitutui relationis, qui per hanc vocem significatur, esse ad, quia talis conceptus per se præscindit à ratione entis & accidentis. Quo sensu videntur locuti citati auctores: cum quibus videtur sentire Henricus quodlib. 9. quæst. 3. ubi de hac materia obscurissime disputat: inter alia vero ait: esse ad aliud ex se nullam recipit distinctionem aut diuersitatem, siue fuerit in diuinis, siue in creaturis, siue in relationibus secundum rem: siue in relationibus secundum rationem. Veruntamen contra hanc euagationem eandem vim habet ratio facta, nam vel illud esse ad prout est modus constituens relationem realem, est etiam realis modus, vel est tantum ens rationis: hoc secundum dici non potest, alioqui relatio realis non habebit proprium & formale constitutum reale, quæ est implicatio in adiecto: quomodo enim potest ens reale ut sic, per id quod reale non est constitutum de qua re diximus multa superius disputatione tractando de modis contrahentibus ens. Si autem illud ad in relatione reali est modus realis, rursus interrogo, an in relatione rationis sit etiam verus & realis modus, vel tantum per intellectum constitutus. Primum dici non potest, quia repugnat relationi rationis de cuius essentia est ut non dicat habitudinem in re existentem, sed in mentis comparatione seu denominatione. Item quia contradictionem implicat, quod ens fictum existens tantum obiectiue in intellectu, per modum realem & in ipsa existentem, constituatur: est ergo illud esse ad in relatione rationis purum

ens rationis. Ergo sicut non potest dari conceptus communis vel uniuocus ad ens reale & rationis, vel ad relationem realem & rationis secundum completum conceptum relationis, ita neque esse ad, ut ne præcise conceptum, potest dicere unum communem conceptum & uniuocum ad esse ad relationis realis & rationis, quia non magis potest esse inter hæc vera similitudo & conuenientia, quam inter quilibet alia entia realia & rationis. Nec magis potest in his, quam in cæteris intelligi qualis sit ille conceptus abstractus ab ente reali & rationis, aut qualis esse possit contractio vel determinatio talis conceptus ad ens reale per modum realem, & ad ens rationis per modum rationis.

Dicendum ergo est solam relationem realem esse vere & proprie ad aliquid: relationem autem rationis non esse, sed concipi ac si esset ad aliquid, ideoque solas relationes reales ad proprium predicamentum ad aliquid pertinere: relationes autem rationis non constitui in reali predicamento, sed per analogiam & proportionem ad veras relationes declarari. Vt magis in particulari dicemus in disputatione vltima huius operis. Neque D. Thomas in citatis locis oppositum intendit: nunquam enim dixit aut relationem rationis esse uniuocam relationem cum reali, aut esse ad aliud non esse aliquid reale in relatione reali, sed solum dixit naturam relationis realis talem esse, ut per similitudinem & proportionem ad illam possint entia rationis per modum relationum, ab intellectu conungi cum aliquo fundamento in re potius, quam per modum quantitatis, vel qualitatis, &c. Quod ait, ex eo provenire, quod relatio ut relatio solum significat respectum ad aliud. Vbi particula solum non excludit concomitantia: vnde neque excludere potest transcendentalem rationem entis, vel accidentis, si relatio accidentaliter sit. Quia vero relatio quatenus præcise concipitur aut significatur ut est ad aliud, non concipitur nec significatur expresse ut inhaerens ideo ait D. Thomas ut sic solum dicere respectum ad aliud, non quia in re ipsa non sit aliquid in se, vel in subiecto existens, sed quia in tali modo concipiendi & significandi nihil aliud exprimitur. Et inde etiam fit, ut facilius possint entia rationis secundum illum modum habitu dinis concipi, non quod in tali relatione sit vera habitudo, seu verum esse ad tale quale est in relatione reali, sed quia ad instar seu proportionem eis concipitur. Vnde idem D. Thomas postquam dixit relationem secundum propriam relationem solum significare respectum ad aliud subdit hæc respectum aliquando esse in ipsa natura rerum, aliquando vero esse solum in apprehensione rationis conferentis unum alteri. Ad rationem autem illius sententia facile responderetur, negando propriam rationem relationis vere reperiri in relatione rationis, quia in tali relatione nec est vera habitudo, nec verum esse ad aliquid, sed solum apprehenditur ac si esset ad aliquid.

Secunda diuisio relationis, in secundum dici, & secundum esse.

Secunda diuisio relationis est in relationem secundum esse, & secundum dici. Quæ diuisio fundamentum habet in Aristotele cap. de Ad aliquid, ubi prius tradit definitionem communem relationi secundum dici, postea vero tradit propriam definitionem relationum secundum esse. Relatio ergo secundum dici definitur, quod sit res quæ concipitur & explicatur, seu dicitur per modum respectus cum in re ipsa verum respectum non habeat: relatio autem secundum esse, dicitur, quæ reuera habet proprium esse cum habitudine ad aliud.

Ex quo aliqui, & non sine verisimilitudine opinati sunt, relationem secundum dici, esse eandem cum relatione ratione. Quod significat Henricus quodlib. 3. quæst. 4.

q. 4. ex Auicenna lib. 3. suae Metaphys. dicente relationem secundum dici, esse illam, quae solum habet esse in intellectu, & conuenit rebus quae non sunt simpliciter & absolute ad aliquid, sed solum secundum quod ab intellectu concipiuntur. Et videtur hoc consentaneum rationi, nam sicut concipimus ita loquimur: relationes autem secundum dici non alia de causa sic appellantur, nisi quia ita à nobis dicuntur aut explicantur, ac si relationes essent, cum tamen non sint: ergo ille modus loquendi de his relationibus, supponit modum concipiendi nostrum, ex quo nascitur, nimirum, quod haec res concipiuntur à nobis cum relatione & habitudine, seu per modum relationis & habitudinis, cum vere & in re habitudinem non habeant sed in hoc consistit ratio & essentia relationis rationis ergo secundum dici idem est, quod relatio rationis.

Sed nihilominus communiter non ita intelligitur haec diuisio, nam relatio rationis eo modo quo est, censetur esse relatio secundum esse sibi proportionatum, ut patet de relatione generis & speciei, & similibus, quia eo modo quo haec cogitantur, non solum dicuntur, sed etiam sunt ad aliquid. Et è conuerso relatio secundum dici non limitatur ad relationem rationis sed dicitur de quacunque reali re, cuius esse sit absolutum, & à nobis non nisi per modum habitudinis seu relationis relatiuae explicatur. Sic enim diuinam omnipotentiam dicimus esse relatiuam secundum dici, non propter relationem rationis quam in illa fingamus, sed quia illam non concipimus, nec explicamus, nisi cum concomitantia alterius ad quod est potentia & per modum habetis habitudinem ad illud. Vnde, licet verum sit, hunc dicendi modum seu loquendi de relatione secundum dici supponere modum concipiendi, tamen ille modus concipiendi non est talis ut ex illo necessario resultet vel apprehendatur relatio rationis, quia non est conceptus reflexiuus, aut comparatiuus, sed est conceptus directus rei absolute, imperfecte tamen conceptus ad modum earum rerum quae habet habitudinem ad alia in quo modo concipiendi non attribuitur ipsi obiecto cognito habitudo vlla nec realis, nec rationis, sed solum ex parte concipientis. sic conceptus per quadam imitationem & analogiam ad conceptus rerum respectiuorum. Sicut quando à nobis concipitur res spiritalis instar corporeae non attribuiamus obiecto corporeitatem realem aliàs falsa esset conceptio, neque etiam fingimus aut cogitamus in illo obiecto aliquid ens rationis: quale enim illud esset? Solum ergo concipimus vnam rem per analogiam ad aliam: Sicutigitur interdum concipimus rem absolutam instar respectiuam, & de illa ita loquimur ac si respectiuam esset & ideo dicitur esse relatiua secundum dici tantum. Vnde constat, relationes tantum secundum dici extra genus relationis esse, nec per se posse pertinere ad predicamentum ad aliquid, imò sub ea ratione ad nullum predicamentum pertinere nam ex eo quod res à nobis imperfecte concipiatur aut dicatur, non accipit peculiarem naturam, ratione cuius debeat in peculiari predicamento collocari. Et ideo Aristoteles in predicamento ad aliquid, ut ibi Boetius, & alii notarunt, exclusa priori definitione relatiuorum, quae relatiuis etiam secundum dici communis erat, posteriorem addidit, quae propria est relatiuorum secundum esse.

XI. Sunt vero qui existunt diuisionem hanc relationis secundum dici, & secundum esse coincidere cum alia partitione relationis in transcendentalem, & praedicamentalem, ita ut relatio transcendentalis tantum sit relatio secundum dici: omnis vero relatio secundum esse, praedicamentalis sit (de creatis loquimur). Haec vero sententia licet in ore ferè omnium circumferri videatur, mihi non probatur. Opinor enim relationes transcendentales includere in re ipsa & in suo esse veras & reales habitudines, quod paulo

Tom. II. Metaphys.

inferius ostendam: relationes autem quae tantum sunt secundum dici, proprie & in rigore sumptas distinguuntur ab omnibus relationibus secundum esse, siue transcendentales sint, siue praedicamentales. Non enim requirunt in re sic concepta, seu relatiue denominata veram aliquam habitudinem, quae ratione sui esse illi conueniat, sed tantum denominationem ex modo nostro concipiendi & loquendi, ut à nobis explicata est. Ut in exemplo posito de potentia Dei probabilius est non includere respectum etiam transcendentalem, etiam si relatiua secundum dici appelleretur. Igitur relatio secundum dici tantum, non est idem quod relatio transcendentalis: imò ab illa etiam condistinguitur, si cum praecisione sumatur, prout sumi debet. Quod ideo addo, quia etiam relatio transcendentalis potest dici relatio secundum dici, quia etiam de ea loquimur ad modum relatiuorum, imò & relatio praedicamentalis erit relatio secundum dici, quia etiam ipsa dicitur cum habitudine ad aliud. Ut ergo proprie fiat diuisio, sumi debet relatio secundum dici cum exclusionem & praecisionem, ita ut solum in ipso dici, habitudinem habere videatur in esse tamen nullam habeat, nec transcendentalem, nec praedicamentalem. Dices, Si res sit tam absoluta, ut in esse nullam habeat habitudinem, etiam transcendentalem, cur necesse erit concipi vel dici cum habitudine, cum vnaquaeque res possit concipi eo modo quo est absque omni eo, quod est extra essentiam eius. Respondetur, id sepe prouenire ex nostro modo imperfecto concipiendi, quia non valemus concipere res prout ipse sunt. Addo praeterea interdum contingere, ut res etiam perfecte concepta, cognosci non possint sine concomitantia aliarum, etiam si sint extra essentiam eius, non propter habitudinem aut dependentiam, sed propter aliam altiore connexionem in ratione causae eminenter continentis suos effectus: quomodo aunt Theologi non posse Deum perfecte videri aut comprehendere, quin in eo cognoscantur creaturae de quo aliàs.

Tertia diuisio inter relationem transcendentalem, & praedicamentalem.

Tertio ac praecipue diuiditur relatio realis & secundum esse, in transcendentalem & praedicamentalem, quae diuisio maxime necessaria est ad concludendum & declarandum id quod in praesenti sectione intendimus. Haec enim solum constat, relationem pertinentem ad hoc praedicamentum ad aliquid, debere esse realem & secundum esse: nunc autem videndum superest, an omnis relatio huiusmodi ad hoc praedicamentum pertineat. Ex quarto vero argumento in prima sectione proposito constat, non omnem habitudinem realem & secundum esse, posse ad vnum definitum praedicamentum spectare. Et ideo proponitur haec diuisio, quia significatur esse certum quendam modum realis habitudinis habentem particularem ac definitum essendi modum, qui peculiare genus entis constituit, & huiusmodi esse relationes praedicamentales. Praeter has vero esse alias habitudines veras etiam reales, essentialiter pertinentes ad varia & fere ad omnia genera entium, quae propterea transcendentales dicuntur, & à praedicamentibus distinguuntur, quia ad certum aliquod praedicamentum non pertinent, sed per omnia vagantur.

In primis ergo diuisio sic explicata quoad singula membra probanda est. Quod enim duntaxat quaedam relationes praedicamentales, ex recepta diuisione praedicamentorum supponimus, & ex communi omnium sententia, ut in prima sectione dictum est, quod vero praeter has dentur relationes transcendentales quae non fiat tantum secundum dici, sed vere & reales habitudines secundum esse satis probatur inductione & discursu facto in illo quarto argumento sectione

mentalib.
& transcendentibus.

X.

XI.

Vu 2

ctione

etione prima proposita. Et potest confirmari nam in genere substantiæ materia & forma habent inter se veram & realem habitudinem essentialiter includentem in proprio esse illarum, & ideo una definitur per habitudinem ad aliam, & inde accipiunt specificationem suam. Eademque ratio est de potentiis accidentibus per se primo institutis & ordinatis ad suos actus: & de habitibus operatiuis, de quibus supra ostensum est, natura sua specificari per habitudinem ad actus vel obiecta: quia nimirum in suo esse includunt veram habitudinem ad actus, & illis mediantibus ad obiecta: ergo hi respectus transcendentales sunt veri & secundum esse reale earum rerum quibus conueniunt. Quocirca sicut inductio facta nititur in communioribus, magisque receptis sententiis, ita hæc doctrina communiter à doctoribus approbata celsenda est. Præsertim vero in favorem eius noranda sunt verba Diui Tho. p. 1. q. 28. art. 1. ubi sic scribit: *Ea quæ dicuntur ad aliquid significant secundum propriam rationem solum respectus ad aliud, qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rei, utpote quando aliqua dua res secundum naturam suam ad inuicem ordinata sunt, & inuicem inclinationem habent, huiusmodi relationes oportet esse reales, sicut in corpore graui est inclinatio & ordo ad locum medium: unde respectus quidam est in ipso graui respectu loci medi, & similiter est de aliis huiusmodi.* Hæc enim ratio D. Thomæ æque aut maxime procedit de respectu transcendentali: nam, secundum illum præcipue inueniuntur res ad inuicem ordinatæ. Et quidem exemplum D. Tho. optime intelligitur, ac verificatur de respectu transcendentali, nam grauius inclinatio & propensio ad locum medium, non pertinet ad prædicamentum relationis, sed qualitatis, nam est propria essentia talis qualitatis.

IX.
Obiectio.

Prima responsio.

Verior responsio.

XIII.
Dices, nullus realis respectus includitur in conceptu rei absolutæ, sed hic respectus transcendentalis includitur in conceptu rei absolutæ: ergo non est verus respectus secundum esse, sed tamen secundum modum loquendi & concipiendi nostrum: hoc enim possimum argumento nituntur, qui ita sentiunt de his respectibus transcendentalibus, ut solum in verbis consistere arbitrentur. Aliqui vero respondent, & sumi potest ex Scotto in 4. d. 12. q. vnica huiusmodi respectus consequi ad res absolutas, non vero esse de intrinseca ratione illarum. Hæc enim de causa negat Scotus, in hærentiam aptitudinalem esse de essentia accidentis, quia est verus respectus. Iuxta quæ responsionem, hi respectus non essent extra latitudinem prædicamenti ad aliquid, unde nec possent dici proprie transcendentales, neque de prædicamentis talibus distinguui, quia non est contra rationem determinati prædicamenti, ut res in illo contentæ consequantur ex rebus aliorum prædicamentorum, si non sunt de essentia earum, sed proprietates consequentes illas. Melius tamen responderetur cum Caietano de ente & essent. c. 7. q. 15. non esse contra rationem rei absolutæ ut in sua essentiali ratione includat respectum transcendentalem, suæ naturæ proportionatum, nā reuera inherencia aptitudinalis non est proprietas consequens naturam accidentis, sed est intrinseca essentia eius, ut in superioribus ostensum. Quinimo verisimile est, in entibus creatis nullum esse ita absolutum, quin in sua essentia intime includat aliquem transcendentalem respectum, saltem quatenus est ens per participationem, per se essentialiter pendens ab ente per essentiam: Nam licet ipsa actualis dependentia sit aliquid ex natura rei distinctum ab ipso ente creato, tamen ipsa aptitudo & necessitas dependendi est intrinseca & essentialis illi: non videtur autem posse concipi, aut esse sine transcendentali respectu & habitudine ad illud à quo pendet, in quo respectu maxime consistere videtur potentialitas & imperfectio entis creati ut tale est.

Quidquid vero sit de completis entibus ut sunt integre substantiæ, præsertim simplices & immateria-

les, quæ inter creata entia videtur maxime absoluta, ex reliquis omnibus quæ incopleta dicuntur, nullum est ita absolutum, ut non includat essentialiter aliquem transcendentalem respectum. Et ratio est, quia omnia illa ex natura sunt instituta ad aliud, seu propter aliud, nam materia est propter formam, forma vero est ad actuadam materiam & complendum compositum & accidens est ad substantiam, & sic de reliquis. Vnaquæque autem res accipit modum entitatis accommodato suo primario fini & institutioni: quia ergo omnes hæc res per se primo ordinantur ad alias, ideo talem modum entitatis accipiunt, ut intime includant habitudinem ad aliud, & hæc est propria habitudo seu respectus transcendentalis, sunt ergo inter reales habitudines veras, & secundum esse aliquæ transcendentales, quæ ad speciale prædicamentum reuocari non possunt: & ideo à prædicamentis distinguuntur.

SECTIO IV.

Quomodo differat prædicamentalis respectus à transcendentali.

Sed iam occurrit magna difficultas in explicanda differentia inter hos duos ordines respectuum, & consequenter in explicanda ratione, ob quam necesse sit præter transcendentales respectus prædicamentales admittere.

Proponuntur nonnulla discrimina inter dictos respectus

Variæ igitur possunt excogitari differentie inter huiusmodi respectus. Prima, & quæ plures includit, est, quia relatio transcendentalis, non requirit eas conditiones, quas postulat prædicamentalis relatio, quæ præcipue sunt tres, ut infra videbimus. Prima quod relatio prædicamentalis requirit aliquod fundamentum reale absolutum, ut similitudo albedinem, paternitas vim generandi seu generationem, secunda, quod requirit terminum realem & realiter existentem: tertia, quia petit distinctionem realem, vel saltem ex natura rei inter fundamentum & terminum. At vero respectus transcendentalis nullam harum conditionum per se requirit. Nam diuina scientia, verbi gratia, habitudinem transcendentalem dicit ad diuinam essentiam, ut ad proprium obiectum, & diuinus amor ad diuinam bonitatem, & tamen inter ea nulla est distinctio ex natura rei, sed rationis tantum: Rursum transcendentalis respectus non semper requirit realem terminum, sed interdum esse potest ad ens factum, seu rationis, vel ad extrinsecam aliquam denominationem, ut conceptus rei cogitatio de ente rationis, seu priuatione, ut sic transcendentalis habitudinem dicit ad illud obiectum, quod tamen ens reale non est. Sæpe etiam hic transcendentalis respectus, licet sit, ad terminum realem, non tamen requirit realem existentiam eius, ut scientia de futuro eclipsi dicit habitudinem realem transcendentalem ad illam, quamuis non existat, & idem est in qualibet scientia de obiecto possibili, & de potentia respectu actus non existentis. Denique hic respectus transcendentalis nullum requirit fundamentum: respectus enim transcendentalis materiz ad formam nullum habet fundamentum, sed intime includitur in ipsa materia. Et idem est de respectu forme ad materiam, scientia ad obiectum, & similia. Et ratio est manifesta, quia hic transcendentalis respectus non aduenit alicui rei iam constitutæ in suo esse essentiali, sed est quasi differentia constitutus, & complens essentiam illius rei cuius respectus esse dicitur. Et ideo, sicut illa res cum sit absoluta, non requirit aliud fundamentum